

DE OFFICIO RECTORIS PROVINCIAE.

1.40.1

Imp. Alexander A. Iulianae.

Potest de falso causam cognoscens praeses provinciae incidentem proprietatis quaestionem dirimere.

D. VI k. April. Maximo II et Urbano cons.

[a. 234]

1.40.2

Imp. Constantinus A. ad Maximum.

Praesides provinciarum oportet, si quis potentiorum extiterit insolentior et ipsi vindicare non possunt aut examinare aut pronuntiare nequeunt, de eius nomine ad nos aut certe ad praetorianae praefecturae scientiam referre: quo provideatur, qualiter publicae disciplinae et laesis tenuioribus consulatur.

D. III k. Ian. Treviris Ianuarino et Iusto cons.

[a. 328]

1.40.3

Idem A. ad provinciales.

Iustissimos et vigilantissimos iudices publicis adclamationibus collaudandi damus omnibus potestatem, ut honoris eis auctiores proferamus processus, et e contrario iniustos et maleficos querellarum vocibus accusandi, ut censurae nostrae vigor eos absumat, nam si verae voces sunt nec ad libidinem per clientelas effusae, diligenter investigabimus: praefectis praetorio et comitibus, qui per provincias constituti sunt, provincialium nostrorum voces ad nostram scientiam referentibus.

PP. k. Nov. Constantinopoli Basso et Ablabio cons.

[a. 331]

1.40.4

Idem A. ad Periclem praesident.

In officiales praefectorum cursum publicum laniantes vel prava contra utilitatem publicam molientes vindicandi tibi dedimus potestatem, ita ut praefectos de eorum culpa facias certiores.

D. X k. Nov. Nicopoli Constantio et Albino cons.

[a. 335]